


J: v: d: Spyk fecit

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

PODAGRA.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. TIBERII HEMSTERHUIS,
LINGUÆ ET ANTIQUITATUM GRÆCARUM, UT ET HISTORIÆ PATRIÆ IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
& Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
ritè, ac legitimè conſequendis,

Publico ac ſolemni examini ſubmittit

RUDOLPHUS A SONSBEECK, ABR. FIL.
Zwollanus.

Ad diem 19. *Januarii* 1748. *hora locoque ſolitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS ET FILIUM,
Academiæ Typographos, 1748.

NOBILISSIMO, GRAVISSIMO,
CONSULTISSIMO

VIRO

D. ABRAHAMO A SONSBEECK,

URBIS ZWOLLANÆ TRIBUNO PLEBIS AC CENTURIONI.
PARENTI OPTIMO, INDULGENTISSIMO, OMNI
FILIALI AMORE AD ROGUM
USQUE COLENDO.

UT ET

D. FREDERICO LUDOVICO
A SONSBEECK,

INTER ZWOLLANOS CIVES SIGNIFERO, FRATRI EXOPTATISSIMO, FRATERNO AMORE, DUM SPIRITUS HOS
REGET ARTUS, DILIGENDO, PROSEQUENDO.

NEC NON

AMPLISSIMO, NOBILISSIMO,
GRAVISSIMO

VIRO

D. RUDOLPHO A SONSBEECK,

CIVITATIS ZWOLLANÆ CONSULI,

PATRUO SUO UNICO, OMNI REVERENTIA SEMPER
VENERANDO

Haſce ſtudiorum ſuorum primitias
ut & ſemet ipſum, ea qua
par eſt, reverentia

D. D. D.

RUDOLPHUS A SONSBEECK,
ABR. FIL.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

PODAGRA.

§. I.

Vitam hominis initio perfectiſſimam fuiſſe, ipſique ſufficientem conſervandi rationem, intellectumque cauſarum intra & extra agentium moderatorem, ut ſanitate illibata quam diutiſſime frueretur, ſibique oblectamento eſſet, conceſſum, infinita Creatoris ſapientia atque ſcopus citra dubium ponunt.

Quam primum intellectus moderator defecit, cauſæ nocentes invaleſcere, cauſas vitales oppugnare, vitam obluctantem in anguſtias redigere: unde varii morbi ſucceſſere. Probabile autem videtur, morbos eo ſimpliciores, pauciores, leviores fuiſ-

ſe, quo minus ab origine receſſum; poſtquam genus humanum multiplicatum magis magiſque in ſuperficie telluris ſeſe diſtribuit verſus utrumque polum; pediſſequa neceſſitas varia artificia ad vitam viribus univerſi expoſitam contra injurias tuendam, ad gravamina ſublevanda, & ſincera victus ſimplicitas magis magiſque in luxum converſa, omnis generis corruptionibus via ſtrata; ita ut homo ipſe ſuarum calamitatum, mortiſque præmaturæ maximam partem auctor habendus: inde labes parentum cum ſemine & ſanguine in filios, poſteroſve propagatæ. Contulit ſua diffuſus incolatus, quævis regio ſingularia fovet morborum ſemina, cauſas itidem manifeſtas aër aquæ & loci oſtendunt: hic frigus, illic calor; hic inſecta, illic effluvia mineralia &c. vitæ inimica; ſingula artificia ſingulares morbos poſt ſe trahunt, de quibus egregie Rhamasinus *de morbis artificum*, & Hippocrates in præſtantiſſimo libro *de aëre aquis & locis*.

§. II.

Quo autem tempore, qua in regione Podagra notiſſimus infeſtiſſimuſque vitæ commodæ hoſtis primo enata ſit, monumenta hiſtorica ſilent. Hippocratis ævo frequens certe fuit, hic omnes morbos a bile & pituita oriri ſtatuit, *quoties bilis & pituita ad articulos decubuerit, oriri morbum articularem, ad pedes Podagram.* lib. 5. de affect. unde ſequitur hunc morbum ſatis frequentem fuiſſe.

De mulieribus ſcribit aphor. 29. ſect. 17. eas Podagra non laborare, niſi menſtrua defecerint, eo quod purgationes menſtruæ pituitam & bilem copia & qualitate peccantem educerent, aut naſci non ſinerent, quemadmodum aphor. 57. ſect. 5. inquit: *menſibus ab utero feminæ adultæ, nec gravidæ, nec lactantis non prodeuntibus fiunt morbi.*

§. III.

Morbus igitur hic antiquiſſimus ſemper ſui indicia exhibuit, cauſam interim proximam ejuſque indolem ex integro cognitam

tam nondum habemus, ut ut ſagacitas præſtantiſſimorum Medicorum operam dederit. Ipſe Sydenham perſpicaciſſimi ingenii vir, aſſiduo de morbis cognoſcendis & tollendis meditando cum Medicis maximi nominis conſilia in commune pro ægrorum commodis conferens triginta quatuor annos Podagra vexatus eam incomprehenſibilem pronunciat.

§. IV.

Podagra autem adeſſe dicitur, dum circa aut intra juncturas pedis inferioris citra manifeſtam cauſam adeſt dolor acutus, tenſivus, lancinans, nunc mitius, nunc acerbius ſæviens, contra omne remediorum genus pertinaciſſimus, omnem ægro quietem, ſomnum aut tollens, aut interrumpens præſto eſt. Hic dolor tanquam ſignum pathognomicum habetur raro fallax. Dico raro, nam obſervationes docuerunt, dolorem deſcriptum ſubinde receſſiſſe, nunquam rediiſſe, idque ſine ullis adhibitis auxiliis, uti dolor dentium nulla labe apparente infectorum aliarumve partium, vita ipſa cauſam ſolvente. Hinc omnem ægrum de dolore pedum querentem Podagra laborare non dicemus, unico hoc indicio non contenti ſecundum paroxyſmum exſpectamus; obſervavit enim Hippocrates in febribus chronicis, tubercula & dolores ad articulos ſubinde oriri, *quibus febres longæ, his tubercula ad articulos aut dolores fiunt.* Aphor. 44. ſect. 4. *quibus tubercula ad articulos aut dolores ex febribus longis fiunt, hi plurimis utuntur cibis,* Aphor. 45. ſect. ejusdem. Hos ægros Podagra laborare non dicit. Proinde in ætatem, vitam ante actam, parentum avorumque diſpoſitionem inquirimus, ut certiores ſimus, invictam iſtam dolorum dominam, ut Lucianus eam vocat, ægro & Medicis imperantem cum omni ſuo ſatellitio, tumore, rubore, per vices exacerbatione ſedem alicubi in ligamentis, arteriis, venis oſſa digitorum pedis, metatarſi, tarſi, calcaneum, aſtragulum, malleolos ſepientibus fixiſſe, omnibus quid contra molientibus formidabilem.

Dolendum ſane, ſi illa omnem artis potentiam illidendo par

eſſet,

eſſet, & omnia Medicorum conamina ad illam expugnandam irrita forent, nilque ſolaminis ægro a Medicina ſperandum; quod rectæ rationi & experientiæ repugnat. Exempla enim proſtant, eam aliquoties curatam eſſe, ut infra patebit.

§. V.

Quosvis indiſcriminatim non adoritur, ſequi ſolet ætatem triginta annis majorem, citius tardiusve, prout cauſas validiores æger a parentibus propagatas acceperit, aut ipſe acquiſiverit. Sexus virilis præ femineo illi ſubjectus, eo quod hic purgationibus menſtruis cauſas naſcentes præcidat, imminentes avertat, non tamen ab ea plane immunis, etiam fluxu menſtruo typum ſervante, licet id tempore Hippocratis in Græcia non obtinuerit, idem de pueris verum, quamquam Hippocrates aphor. 30. ſect. 17. item in Coac. 13. pueros ante Veneris uſum, aut ante pubertatem Podagra non laborare aſſerat. In ſenſu indefinito hæc quidem vera ſunt, non autem in abſoluto, cum ante pubertatem obſervata ſit.

§. VI.

Ut certius conſtet Podagram adeſſe, indicia ex Sydenham tractatu de Podagra proponere viſum eſt, auctor tum propria tum aliorum experientia confirmatiſſimus mihi inſtar omnium erit, qui tenore ſequenti ejus primitias graphice deſcribit.

„ Quoties regularis eſt Podagra, hoc fere modo ægrum
„ adgreditur. Januario exeunte, aut incipiente Februario,
„ derepente & nulla fere præſentione antecedente ingruit,
„ niſi quod ventriculi cruditate atque ἀπεψία ad ſeptimanas
„ aliquot æger laboraverit, corporis inſuper intumeſcentia
„ quaſi ventoſa & gravitate, quæ in dies augetur, donec tan-
„ dem detonet paroxysmus; quem paucis diebus præit torpor
„ & quaſi flatuum deſcenſus per femorum carnes, cum ad
„ ſectione σπασμοειδεῖ, tum etiam pridie paroxysmi appetitus
„ vo-

„ voracior, non tamen naturalis. Sanus lecto ſomnoque committitur; hora vero ſecunda poſt mediam noctem excitatur
„ a dolore pollicem pedis ut plurimum occupante, quandoque vero calcaneum, ſuram, aut talum: hic dolor eum
„ refert, qui oſſium dictorum dislocationem comitatur, cum
„ ſenſu aquæ tantum non frigidæ partis adfectæ membranis
„ adfuſæ. Mox ſequitur rigor cum horrore, & febricitatione aliquali: dolor autem hic primo remiſſior gradatim intenditur, & pari paſſu rigor atque horror recedunt, idque
„ in ſingulas horas, donec tandem ſub noctem ad apicem
„ pervenerit, ſe ad verietatem oſſiculorum tarſi & metatarſi,
„ quorum ligamenta obſidet, perbelle accommodans; nunc
„ tenſionem violentam, vel ligamentorum iſtorum dilacerationem, nunc morſum canis rodentis, quandoque preſſuram
„ & coarctationem exprimens: ad hæc, ita vivum exquiſitumque habet ſenſum pars adfecta, ut nec linteorum ſuperincumbentium pondus, nec cubiculi a fortiori ambulatione
„ concuſſionem, ferre valeat. Atque hinc fit ut nox non
„ tantum in cruciatu tranſigatur ſed etiam cum irrequieta partis adfectæ hac illac rotatione, & mutatione ſitus quaſi
„ perpetua. Neque minor eſt totius corporis jactatio inceſſans, quæ ſemper paroxysmum, maxime vero antecedentem comitatur, quam torti membri agitatio & dolor. Hinc
„ etiam mille conamina, ſitus tum ipſius corporis, tum membri adfecti mutatione aſſidua, doloris ſedationem incaſſum
„ exambiunt: quæ tamen non contingit ante horam ſecundam
„ tertiamve matutinam (decurſo ſcilicet Nycthemeri ſpatio
„ a primo adpulſu paroxysmi) quo tempore æger poſt materiæ peccantis modicam digeſtionem & difflationem aliqualem, ſubito a dolore reſpirat; licet hanc ille liberationem
„ iſti membri adfecti poſituræ, qua poſtremo uſus erat, immerito acceptam referat. Jam leni madore perfuſus ſomno
„ concedit; a quo evigilans, dolore multum imminuto, partem adfectam tumore recenter occupatam cernit; cum ſolum antehac (quod in omnibus Podagricorum paroxysmis
„ ſolemne eſt) inſignior intumeſcentia venarum membro ve-

„ xato intertextarum ſe in conſpectum dederat. Sequente
„ die, forte etiam ad biduum triduumve, ſi materia, Poda-
„ græ generandæ apta fuerit copioſior, dolet nonnihil pars
„ adfecta, idque vehementius die jam adveſperaſcente, le-
„ vatur autem ſub galli cantu. Intra paucos dies, alter pes
„ eodem dolore torquetur quo is, qui prior doluit, vel ſi
„ prior iſte jam dolere deſierit, debilitas quæ eum infirmave-
„ rat, mox evaneſcit, tam viribus quam integra ſanitate iſti
„ pedi ſtatim reſtitutis, perinde ac nunquam laboraverat, ſi
„ modo dolor pedem nuper tentatum ferocius lancinet. Nihi-
„ lominus easdem hic excitat tragoedias, quas prius in altero
„ pede, tam quoad doloris vehementiam, quam durationem.
„ Quandoque etiam primis morbi diebus cum materia peccans
„ adeo exuberat, ut ei capiendæ pes unus impar ſit, utrosque
„ ſimul pari vehementia fatigat: ſed ut plurimum pedes ſuc-
„ ceſſive, uti diximus, adgreditur. Poſtquam utrumque pe-
„ dem exercuerit, qui ſequuntur paroxyſmi abnormes ſunt,
„ tum quoad tempus invaſionis, tum etiam quoad durationem;
„ hoc tamen ubique ſervant, quod dolor noctu recrudeſcat,
„ mane vero remittatur. Atque ex ſerie horum paroxyſmu-
„ lorum (ſit verbo venia) conſtat paroxyſmus qui dicitur Po-
„ dagræ, diuturnior, breviorve, pro ægri ætate.

§. VII.

Locus, quem occupat, eſt pes inferior, illæ imprimis partes, in quibus vaſa arctius cohærent, ut cauſa Podagrica urgente dilatari, cedere nequeant, adeoque difficillime liquida transmittant, tales ſunt perioſtea, tendines, membranæ, ligamenta, quibus nervi arctius intertexti; hinc levis punctura, quæ in laxioribus nil mali ſenſibilis creat, in iis dolores ſæviſſimos excitare ſolet, & ſubinde convulſiones corporis univerſi, hinc chirurgi tantopere cavent in venæ ſectione, ne mucro lanceolæ in tendinem ſubjectum aberret. ipſe Galenus a ſævo pollicis pedis dolore epilepſiam ortam teſtatur.

Conſtat ex Anatomicis, nullam eſſe corporis partem, ubi tot ten-

tendinum concurſus, ac in manu & pede extremo, nec tendines hic, ut alibi, libere ad partem movendam accedunt, verum armillis arcte coërcentur, ſub faſciis membranaceis quoque nervoſis procedentes. Accedit, quod ſub integumentis communibus nude jacent a cauſa prima motrice remotiſſimi, hæc omnia conſideranti evidens, in arteriis iſtis levi cauſa fluxum intercipi, dolores acerbos creari, univerſum corpus in conſenſum agi, malumque enatum non niſi longa mora ſolvi penetrantiſſimis nervis amicis internis & fotu externo, ut ſuo loco dicetur.

§. VIII.

Tumor, rubor, tenſio, diffuſio potius habendi ſunt effectus doloris quam cauſa, notum enim eſt, ubi cauſa irritans, dolorem excitans, ibi augeri influxum humorum, qui tranſire non potentes, diſtendendo vaſa majora minores canales membranas vaſorum percurrentes, aut adjacentes comprimunt, inde errores loci, obſtructio, tumor, rubor, tenſio, doloris incrementum &c. quod vel inde patet, quia dolor inſtar fulminis in partem ruens hæcce phænomena antecedit, adeoque Podagra adeſt, antequam tumor, rubor: de his infra §. 30, 31.

§. IX.

Differentiæ, cauſæ antecedentes, & prognoſis cum ex notitia cauſæ proximæ intelligendæ veniant, illam prius exponendam eſſe ratio ſuadet, niſi more nudæ Empyriæ procedere velimus. Quomodo enim determinabitur, quid cauſæ antecedentes producere valeant, niſi mente præſcia notum habeatur productum, quod imminens avertere, præſens tollere ars præcipit? quæ cum ita ſint, a communi ordine nonnihil recedens cauſam illam, quæ ponit & continuat Podagram, & qua ablata tollitur; quantum virium tenuitas permittit, & ardor noſcendi imperat, latius ſi non ſubtilius inquirere animus eſt, cujus indoles ſi detecta fuerit, remedium malo tollendo

par inventum forte erit. Quantum noſcis, tantum curas, inquit Hippocrates. Ille recte curaturus eſt, quem prima cauſæ origo non fefellerit. Celſus. Fateor plura poſſe cognoſci quam curari, hinc propoſitæ ſententiæ in ſenſu accommodo accipiendæ ſunt. Supponuntur partes adhuc integræ, nondum deſtructæ nec in calcem nodosque irreſolubiles converſæ: hinc Amorum Luſor:

Tollere nodoſam neſcit Medicina Podagram.

§. X.

Miſſis fermentis, pituita, bile, qualitatibus occultis, Boerhaave ſeveriſſimus ille morborum inveſtigator, & cauſarum latentium ruſpator, ex dolore, tumore, exitu per diaphoreſin, fotu lecti, pruritu, desquammatione ſcribit *Aphor.* 1262. liquere, cauſam proximam hujus mali eſſe vitiatam indolem minimorum, adeoque nervoſorum vaſculorum in corpore, tum etiam liquidi quod nervoſas partes alluit, & quidem *Aphor. ſeq.* liquidum peccans hic acrimonia & majori tenacitate ſolidum nimia vaſculorum anguſtia & rigiditate.

§. XI.

Allegata cauſarum congeries adeo perſpicua non eſt, ut nullum dubium ſuperſit. hoc quidem certum, cauſam proximam conſiſtere in ſtatu præternaturali minimorum canalium, & fluidorum per eos circulantium; ſed quæri poteſt, cujus naturæ illud vitium ſit tam fluidi, quam ſolidi? in fluido incuſatur acrimonia & tenacitas, in ſolido vaſculorum anguſtia & rigiditas. Ponamus primo acrimoniam fluidi, jam ſunt caſus, ubi intra paucas horas materia, quæ in manu Chiragram produxerat, in pedem alterutrum, imo ex uno pede in alterum tranſiit, hoc fieri nequit, niſi lege circulationis tranſeat per cor, pulmones, pars ejus per meninges, pars ad perioſtea univerſi corporis, in quibus partibus dicta metaſtaſi nullus

nullus dolor advertitur, cum tamen exquiſitiſſimi ſenſus ſint. Præterea aqua univerſale acrimoniam corrigens habetur, ſed conſtat obſervatis tam aquæ quam vini potores in hoc malum incidiſſe. Objicies, aquæ potores in hunc morbum incidere eo, quod exceſſu cauſæ digeſtrices debilitentur, ſolida tono ſuo deſtituantur, fluida inertia evadant, chylus itaque crudior ad interiora delatus in materiem Podagricam faceſſat. Si hæc ſuppoſitio vera, ſequeretur abutentes potu theæ & cofféé frequentius Podagra laborare, verum contrarium obtinet. Ipſe ſcorbutus in acrimonia conſiſtens, cujuscunque naturæ illa ſit, difficultatem movet, cur Podagram ſemper ſociam non habeat.

§. XII.

Quoad tenacitatem, hæc ad examen revocata dubitantem non plane expedit, tenacitas illa non poteſt concipi, niſi in ſolis fluidis ſubtiliſſimis per minimos canales movendis, hæc ex ſanguine, ſero, aut proxime ſubſequenti lympha oriunda, adeoque omnes humores viſcido laborarent, & functiones vitales, naturales, animales languerent, quod non ita obſervatum.

§. XIII.

Inſuper illa tenacitas humidi laxantis exceſſum involvit, uti apparet fluxu menſtruo ceſſante Podagram ſæpe poſt ſe trahente. Item ſequeretur potius pueros, feminas, quam viros mediæ ætatis hoc morbo laborare, ultro concederem ſi tantum ſenes pituitoſi, & ingenio tardiores Podagra laborarent, cum contra frequentius laborare obſerventur, qui ingenio acuto vivido gaudent, in quibus fluida imprimis quarti ordinis & liquidum nerveum mobiliſſima ſint, neceſſe eſt. Ipſæ denique remediorum vires hypotheſin hanc redarguunt. Salia ſiquidem attenuantia, ſapones incidentes, detergentes, aromata, ſcammonium, Mercurius omnes humores ſpiſſos attenuant,

nuant, Podagram autem non tollunt. Boerhaave *Inſtitut.* §. 764. viſcoſitatis cauſas & effectus recenſens eam oriri ſcribit ex viſcoſis alimentis, ut ſunt farinoſa non fermentata, gelatinoſæ animalium partes, caſeus lentus, preſſus, iis non rite ſubactis ſanguini inferri viſcoſitatem malam ex particulis rurſus unitis: inde obſtructiones ad glandulas, pallor, inertia &c. Podagræ vero mentionem nullam facit, cum tamen ipſi familiare ſit effectus a priore determinare. Omitto plures alias rationes, quibus inductus de veritate cauſarum allegatarum dubito: ſi quis interim dubia mea ſolidioribus ratiociniis invertere conatur, non obluctabor, ſed grato animo excipiam.

§. XIV.

Supereſt vaſculorum anguſtia & rigiditas; utraque ratiociniis adeo firmis ſuffulta non eſt, quin dubitandi locus ſit. ſi ſtatuatur anguſtia, hæc ſuas cauſas Phyſicas certe habet, ſunt quidem in pede inferiori partes ſtrictiores, congeries tendinum, armillæ, ſed quid de perioſteo tibiæ, pleura, pericranio, dicendum? arctiſſimum certo eſt, materia tamen arthritica raro has partes infeſtat, niſi tota humorum maſſa acrior exiſtat, ut in ſcorbuto peſſimo, contagio Venereo &c. ſi ſubjecta conferantur, aliæ difficultates occurrunt. Omnia vaſa in ſexu ſequiori anguſtiora ſunt, quam in virili, cæteris paribus. In vaſis majoribus id evidens, in minoribus viſum effugientibus eadem ratio, frequentius igitur Podagra laborare deberent, contrarium experientia docet. Admiſſa hac hypotheſi nunquam laborarent ii, qui pedibus nudis, aut calceatis in locis paludoſis, aut aquoſis degunt, ubi coreacea aridiſſima adeoque vaſa, membranæ laxantur, at hæ externæ humiditates merito inter cauſas Podagræ recenſentur, videmus in armentis, ſi pedibus diutius humido fimo inſiſtunt, Podagrica fiunt; equi, boves, oves ſat frequenter hoc malo corripiuntur.

Hinc Virgilius humum ſicca filice ſternere jubet, ubi oves hyeme ad paſcua non ducendæ morantur:

Et

Et multa duram ſtipula, filicumque maniplis
Sternere ſubter humum, glacies ne frigore lædat
Molle pecus, ſcabiemve ferat, turpeſve Podagras.
Georg. lib. 3. *v.* 297.

Frigore quidem glaciali vaſa anguſtantur, verum hoc æque in dicto verſiculo ad ſcabiem, quam ad Podagram refertur, nam citra glaciem, aut frigus ab humiditate eadem naſcuntur mala Podagrica, equis frequentiſſima: Hos interim brutorum morbos explicet.

Tertius ille hominum divumque interpres Aſylas
Cui pecudum fibræ, cæli cui ſydera parent.
Et linguæ volucrum & præſagi fulminis ignes.
Virg. Æneid. X. *v.* 175.

Qui vitam & mortem novit prædicere ſtellis
Et partus hora. &c.

§. XV.

De rigiditate multa dicenda non habeo, cum fere ſe ipſam ex cauſis Podagricis excludat. Senes rigidiſſimi, laboribus & ætate fracti raro Podagrici. Auctor ipſe lardum, aërem humidum, venerem immoderatam incuſat, his certe vaſa non rigeſcent, quin laxiora fiunt. Denique ſi anguſtia, rigiditas minimorum canalium Podagræ cauſa foret, diuturnus laxantium uſus certo curaret, ut ſunt lacticinia, ſerum lactis, decocta hordei, ficuum, malvæ, althææ, glycirrhizæ, pinguia, mellita, ſaccharina, quibus omnium partium lacertoſarum canaliumve tonus dejicitur, & quandoque gonorrhœa veterum, diabetes, in feminis fluor albus inducitur, verum hæc omnia Podagram potius offendunt, ut ſeverior inde redeat. Hinc Lucianus in libris Medicorum ſui temporis omne remediorum genus irrito adhibitum legens Podagram loquentem in ſcenam producit, ubi ex farragine tum ſimplicium

tum

tum compoſitorum morbi hujus frequentiam intelligimus. Ut pateat laboranti remedia, quæ circumforanei extollunt, nova non eſſe (ex recenſitis in poëmate certe confecta ſunt) ipſum poëma ſubnectere volui; quod paroxyſmo detenti legendo jucunde patientiam exercere poſſunt, illudque cum receptis conferendo diſcere, an ſolamen ex iis adhibitis ſperandum ſit, nec ne.

Quis invictam me dominam dolorum
Ignorat Podagram in terra mortalium?
Quam neque Turis vapor placat.
Neque effuſus ſanguis aras ad incenſas;
Non templum divitiarum undique ſuſpenſis ornatum donariis:
Quam neque Apollo Medicamentis expugnare valet,
Omnium Medicus in cœlo Deorum;
Non filius Apollinis doctiſſimus Æſculapius.
Poſtquam enim enatum eſt primum hominibus genus,
Conantur omnes meam elidere potentiam,
Miſcentes ſemper Medicamentorum artificia.
Alius aliam in me experitur artem.
Terunt Plantagines, & Apia mihi,
Et folia lactucarum; & ſilveſtrem Portulacam;
Alii Marrubium; alii Potamogeitonem;
Alii Urticas terunt; alii Symphytum;
Alii Lentes adferunt ex paluſtribus lectas;
Alii Paſtinacam coctam; alii folia Perſicorum,
Hyoſcyamum, Papaver, Cepas agreſtes, Mali Punici Cortices,
Pſyllium, tus, radicem Ellebori, Nitrum,
Fœnum-Græcum cum vino, Gyrinem, Collamphacum,
Cyperiſſinam Gallam, Pollinem hordeaceum,
Braſſicæ decoctæ folia, Gypſum ex Garo,
Stercora montanæ Capræ, humanum oletum,
Farinas Fabarum, florem Aſii lapidis;
Coquunt Rubetas, Mures-araneos, Lacertas, Feles,
Ranas, Hyænas, Tragelaphos, Vulpeculas.
Quale Metallum non exploratum eſt mortalibus?

Quis

Quis non ſuccus? Qualis non arborum lacryma?
Animalium quorumvis oſſa, nervi, pelles,
Adeps, ſanguis, medulla, ſtercus, lac.
Bibunt alii numero quaterno pharmacum.
Alii octeno: ſed ſepteno plures.
Alius vero bibens Hieram purgatur:
Alius incantamentis impoſtorum deluditur.
Judæus alium incantat ſtultum nactus:
Alius vero remedium petit ab Hirundinis nido.
Ego autem his omnibus plorare impero,
Et facientibus hæc atque irritantibus me,
Soleo occurrere multo iracundior.
Iis vero qui cogitant nihil adverſum mihi,
Benignam adhibeo mentem, facilisque fio.

§. XVI.

Aliæ igitur cauſæ inveniendæ ſunt, quibus poſitis dubia recenſita explicari, & aptum remedium inveniri poſſit, ad quam inveſtigandam me accingo. Si rem acu non tetigero, veniam ab æquo Lectore me habiturum confido, præſtat enim in obſcuris quid moliri, quam deſperanti & inerti animo omnia intacta relinquere, ſaltem cavebo ea in medium proferre, quibus Podagra poſſit offendi vel exaſperari.

§. XVII.

Cauſa communis omnium morborum eſt degeneratio partium ſolidarum, aut fluidarum, aut utrarumque ſimul a ſtatu naturali, ergo & Podagræ. Verum hæc in Podagra uti in aliis morbis ad extremum, ſeu ad ſimplicitatem redigenda.

§. XVIII.

Inter varias humorum degenerationes occurrit elementorum

maſſam ſanguineam conſtituentium divortium, motu inteſtino factum.

§. XIX.

In ſyſtemate arterioſo organisque ſecretoriis fiunt quidem divortia, ſive ſeparationes, ſecretiones, aſt in certos uſus, aut eliminandi ſcopo, ſuntque effectus naturæ operantis, redintegrando ſuo habitaculo occupatæ, dum hiſce functionibus alimenta in ſuccum nutritium convertit, & noxia per organa deſtinata, alvum, vias urinæ, & ſpiracula cutis eliminat, vitalium vero in ſyſtemate arterioſo ſeparatorum per canales reſpondentes ad venas delatorum amica rurſus fiunt connubia, idem de pluribus ſecretis verum, ſic ſaliva deglutita per alias vias in regionem ſuam reducitur, niſi peſſimo conſilio, & ſanitatis diſpendio exſpuatur.

§. XX.

Eſt & alia ſpecies divortii naturalis, & connubii, ubi partes globulum rubrum conſtituentes diſſiliendo in ſeroſas ſextuplo juxta ſupputationem Leeuwenhoekii minores, hi ſervata proportione in Lymphaticos, hi rurſus in ſubtiliores diviſi per canales minimos moventur, rurſusque cum aliis ſimilibus ſeu ejusdem ordinis connubium ineunt, uti ovum incubatum oſtendere videtur, in quo albumen calore fotus attenuatum in vaſa embryonis ingreditur, & circulatione per ejus organa mirabili metamorphoſi in fluidum rubrum ex parte convertitur, ex parte vero nutritioni impenditur, hinc ordine retrogrado humor ſubtiliſſimus in laticem lymphaticum paulo denſiorem, hic in ſerum, hoc tandem in globulos rubros certe mutatur. Ex quo patet, rubedinem non ab admiſtione, aut actione aëris, ſed ab actione vaſorum & viſcerum dependere. Quousque expoſita hucusque divortia & connubia alternatim fiunt cum debita ſubſtantiæ attritu effluentis redintegratione, ſuccedit,

dit, ſanitas integra, vitaque perfectiſſima perſiſtit; ſi contrarium, morbus fit, aut mors partis, aut totius.

§. XXI.

Divortium morboſum voco, dum diviſorum nullum rurſus fit connubium, nec in partes ſolidas convertuntur. Quale duplex concipimus; aut fit ſeceſſus in partes v. g. ſerum aut lympha ſeparatur a ſanguine rubro, & alicubi moratur, corrumpitur ſolutione partium eſſentiali, quæ altera divortii ſpecies. Hæc etiam contingere poteſt in univerſo corpore, magis minusve, prout cauſæ vitæ plus minus diminutæ, quod *divortium radicale* dicimus, quo ſanguis aut ſerum deſinunt tale eſſe, puta, dum in elementa chemica, in terram, aquam, oleum, ſalem reſolvitur, hæc vero cum ſanguini inhæreant, cum eo per univerſum corpus lege circuitus deferuntur, ſeparari a ſe invicem non poſſunt, naſcitur alius connatus cohærendi: unde alia & alia morboſa producta, terra attrahit oleum, aquam, hæc ſalem, hic quoque oleum, difficillime ſeparabile, uti analyſi chemica conſtat, in ſale plantarum, urinæ, cornu cervi &c. quod & conditurae perſuadent, caro, piſces ſale conditi tenaciſſime ſalem incorporatum ſervant: hinc fiunt in maſſa ſanguinea concrementa gypſea, calcarea, arenoſa, lapidea, ut demonſtrat urina, quæ putrefacta ſuperficiem vaſis continentis, terreum, lapideum, vitreumve fuerit, cruſta lapidea obducit, quæ ſi frequenti infuſione, neglecta mundatione, craſſa evaſit, vix malleo, aut aqua ſeparanda, niſi calor menſtruus accedat.

§. XXII.

Calculi ejus naturæ inventi fuere in omnibus partibus noſtri corporis, licet frequentius in pelvi renum, veſica urinaria & fellea: ipſe tres piſi magnitudinis in vena ſpermatica prope teſtem vidi. Rudimenta ſeu elementa horum calculorum in univerſo corpore in mediis fluctibus ante facta fuere, concretiones majores tantum iis in locis, ubi mora & ſpatium.

§. XXIII.

Deſcriptum igitur divortium dico eſſe cauſam antecedentem Podagræ, & factas inde concretiones elementares, majoresve conſtituere cauſam ejus proximam, quod ulterius demonſtrandum ſuſcipio.

§. XXIV.

Quoad concretiones elementares ex ſuppoſito divortio naſci, ſatis oſtenſum exiſtimo; reſtat tantum ut inde modus & phænomena Podagræ naſcentis & diſcruciantis exponantur. Modus iſte cauſa efficiens eſt Podagram productura, hæc vero ut cauſatum reſpectu materiæ & modi habenda juxta canonem Logices: quod eſt cauſa cauſæ, etiam eſt cauſa cauſati.

§. XXV.

Moleculæ illæ peregrinæ per maſſam ſanguineam diſſeminatæ ſi perveniant ad ea loca, quæ facultate inexplicabili gaudent ejusmodi moleculas certo modo compingendi, in alia corpora mutandi, cohæſionem ſingularem inducendi, cauſa arthritica naſcitur. Dico arthritica, eo quod ipſi perinde ſit, an manus, ſcapulas, dentes, coxas, genua pedesve infeſtet: hinc Chiragra, Odontalgia, malum Iſchiaticum, Gonagra, Podagra, in viſceribus Rheumatiſmus, Hepatitis &c. a materia Podagrica retropulſa, aliaque ſummi diſcriminis mala & mors ſæpe ſubitanea, ut infra exemplis patebit, ſequuntur. Illa autem facultas partibus inſita non magis explicabilis eſt, quam illa teſtium, quæ conficit ſemen prolificum, & hepatis, cyſtidisque, quæ bilem producit. Si Hippocratis ſententia eſt vera, pueros non laborare Podagra ante Veneris uſum, nec eunuchos Aph. 28. Sect. VI. Ipſum ſemen non rite confectum partem cauſæ miniſtrat; in ſexu ſequiori antem mutatio uteri ſanguinem menſtruum non amplius conficientis: rariſſime enim Po-

Podagra laborant feminæ, niſi menſtrua defecerint. Quæ ſapientioribus perſcrutanda relinquo.

§. XXVI.

Habetur hiſtoria in Ephemer. N. C. T. I. obſ. CXXVI. circa Podagram cum Nephritide, ubi Medicus nomine J. C. Brunner. Podagræ hereditariæ inſultus quinquageſimum annum ſupergreſſus primum ſenſit in radice pollicis pedis dextri, abhinc ſiniſtri, poſtea genua, inde manus, cubitos humerosque, denique omnes corporis partes occupavit, afflixitque per intervalla primo longiora, poſtea breviora. Paroxyſmum Podagricum plerumque excepit Nephriticus, quo ſabulum, calculosque cum urina excluſit. Miſer hic ſenex poſt varia medicamenta in caſſum adhibita tandem ſeptuagenarius in ſolo lacte medelam ratus illud ad libras tres quatuorve de die per ſex menſes, nempe a menſe Aprili, ad finem uſque fere Octobris, quo tempore lac detergentiſſimum, blandiſſimum, ſaluberrimum, aſſumſit, & voti compos factus tam Podagra quam Nephritide liberatus integre convaluit. Lac illud certe nil aliud præſtitit, præterquam quod copiam boni Chyli & ſucci nutritii ſuppeditaverit, quo morboſa illa vitalium divortia impedirentur, non mutavit conditionem pedis, aut renum, maſſam fluidorum modo ad amicabilem temperiem reduxit.

§. XXVII.

Aliud exemplum T. VII. Ephemerid. N. C. obſerv. LVII. ubi purgantibus ex ſcammoneo, ſulph. materia Podagrica ex pede, ad interiora retracta renes occupavit, & ſingulis fere menſibus ſæviſſimam Colicam Nephriticam induxit, quam metaſtaſin forte adjuvit externus ſaponis Chemici uſus. Podagra quidem per quinque annos emanſit, ſed ejus uſu mox Cephalalgia vehementiſſima cum emeſi per uſum largum infuſi theæ accelerata, prædicta Colica Nephritica atrociſſima cum calculorum larga progenie erupit, congruis remediis in &

externis Podagra ad ſedem ſuam priſtinam revocata, Nephritis & Cephalalgia ſublata fuere. Hoc autem exemplo acri cenſura ſcammoneum e remediorum anti-Podagricorum numero non excludimus, dantur ſubjecta ubi præſtans medela, tenaces ac melancholicos humores ſolvendo, ex alvo educendo, debilioribus vero ſuſpectum. Celeb. Boerh. magnam ipſi cum Helmontio efficaciam tribuit, quo & ipſe Paracelſus multos morbos ſuſtulit, qui addito Crem. Tartari & Stibio diaphor. diaceltateſſon vocavit Vid. Chem. Boerh. in fine.

§. XXVIII.

Hæc bina exempla, omiſſis aliis, clare confirmant, cauſas a nobis adductas admittendas eſſe. Mirum ſane Medicos effecta ejusmodi videntes a communi cauſarum adſignatione non receſſiſſe, nec eas in medium produxiſſe, ex quibus phænomena tam mirabilia explicari, remedia efficaciora inveniri queant. Viam rectiorem clariſſimorum Præceptorum, ex quibus hæc hauſi, ductu procedens ſi non ſtravi, ſaltem oſtendiſſe lecturis videbor.

§. XXIX.

Cauſas antecedentes, quibus cauſa proxima a nobis allegata producitur, accurate ſiſtit Cl. Boerh. *Aph.* 1265. Ejus vitii (divortii morboſi) origo proxima in indigeſtione viſcerum non attenuantium aſſimilantiumque ſatis aſſumta in indolem requiſitam in liquido nervoſo (id eſt ultimæ elaborationis) ultimo effectu, ſpiritui vitæ, & radicali ſeminis proliferi materiæ, huic ſe innectit clanculum. Et *Aph.* 1267. ſupponit itaque omnes fere coctiones vitiatas ad producendum hoc malum, & quidem vitio in majoribus vaſis, liquidisve vix ſenſibili vaſa illa majora minoribus intertextis irrigantur, ſi membrana muſcularis (quæ baſin vaſorum conſtituit, interna tenuis modo data, ut fibræ orbiculares ſuperficiem politam nactæ progreſſui fluidorum non obſtarent, externa vero ut partibus cir-

circumpoſitis laxe adnecterentur) quacunque cauſa laxatur inertior facta non ſatis agit in fluida propellenda, aut nimis reſiſtit, morbi hujus molecularum jugi vigore non circumductarum cauſa paratur. Hinc mirum non eſt, ſi ſolum lac ſeptuagenarium Podagra & Arthritide liberaverit.

Jura carnium juniorum animalium, quibus adhuc calidis non tamen ferventibus una cum vitello ovi diu conquaſſando admixto idem præſtare videntur, ita ut religioſe æger uni lacti adſtringendus non ſit, modo vinum, Venerem, otia generoſo & pleno ſpei animo fugiat, niſi conſuetudini, debilitati, neceſſitati ſubinde quid dandum ſit. Reliqua itidem relativa ſunt. Uti quietis juſta menſura optima, ſic & moderamen; exceſſus utriusque nocet.

In paroxysmo autem, quantum fieri poteſt, tam animi quam corporis quies imperanda: non modo multis medicamentis dolorum domina exaſperatur, verum etiam ira & clamore &c. Sed de his ſuo loco plura.

§. XXX.

DE DIFFERENTIIS PODAGRÆ.

In genere eſt ſimplex, vel complicata.

Simplex, antequam appareat rubor, tumor, illa inflammatio nil pertinet ad Podagræ naturam, licet ejus productum ſit. vid. §. 8.

§. XXXI.

Complicata eſt, quæ alios morbos in pede ſocios habet, aut ut effecta, aut ut accidentia. Effecta ſunt tumor, rubor, inflammatio. Item in inveterata deſtructiones partium, dum pars ligamentorum, cartilaginum in materiam calcaream, ipſa fluida affuſa ſtagnantia in majores calculos concreſcunt, aut ex parte putreſcunt, cauſtica fiunt.

§. XXXII.

§. XXXII.

Accidentia determinari non poſſunt, in genere ad errorem ægri aut imperiti Medici referuntur, æger præ impatientia variis caſibus Podagram offendere poteſt, ſecando, adurendo, frigus admittendo &c. Medicus adſtringentibus, repercutientibus, opiatis, ſpirituoſis, nimis emollientibus, quæ omnia ex aſſignata cauſa clare intelliguntur, quia illi tollendæ imparia ſunt; valent quidem Podagram de ſede ſua expellere, non vero e corpore proſcribere, pedem dum deſerit, alias latebras quærit, & ubique deprædando invaleſcit, donec vires omnibus functionibus reſiſtendo pares acquiſiverit, tum poſtliminio quaſi ex alto ſopore expergefacta caſtra & arma ſua movet, vitamque ſeveriſſime oppugnat, ut tandem anima corporis habitaculum & frigidum & mortale ſimulacrum una cum bile & ſanguine, pituita, carne, deditione tradat. Hippocr. *Sect.* 8. *Aphor. ult.*

Hic ſolet eſſe remediorum a circumforaneis indolem Podagræ ignorantibus, & pro auro omnia promittentibus exhibitorum eventus.

§. XXXIII.

Quoniam celeberrimus Boerhaave omnia accidentia ex Podagra ad ſedem ſuam migrare impedita, aut ex ea dejecta, naſcentia, aut naſcitura compendio ſiſtit, illa hoc loco mea faciam, Podagrico lectori integra ſiſtam, ut videat, cui promiſſori fidat.

„ Nihil autem in hoc morbo damnoſius quam impedire
„ materiæ Podagricæ jam adultæ, nec alio modo tuto eductæ
„ vel correctæ, defluxum ad ſua loca maxime quidem dolen-
„ tia, minime tamen periculoſa. Tum enim retenta apo-
„ plexias, paralyſes, deliria, debilitates, ſopores, tremo-
„ res, convulſiones univerſales; ſi in cerebrum introivit;
aſthma,

„ aſthma, tuſſim, ſuffocationem ſi in pulmones; pleuritidem
„ ſævam, convulſivam, ſi in intercoſtalia & pleuram; nau-
„ ſeas, anxietates, vomitus, ructus, tormina, ſpasmos vi-
„ ſcerum, ſi in viſcera abdominalia; & ita incredibile quot
„ morbos creat, ſæpe ſubito lethales: quod fruſtra exquiſi-
„ tiſſimo remedio, vel methodo, fonte ignorato, tractes: nec
„ enim cedunt, niſi Podagræ recenti paroxysmo, eoque
„ ſævo reſuſcitato. Contingit id damni ex applicatu incauto
„ narcoticorum refrigerantium, conſtringentium, incraſſan-
„ tium, vel ex omni remedio debilitante, evacuante, rurſum
„ revellente, ſuffocante; hinc miſſio ſanguinis, purgatio ſur-
„ ſum, deorſumve, emplaſtra, cataplasmata modo dicta,
„ opiata omnia id efficiunt; ut & ſpontanea ſenii decrepiti
„ debilitate ingruente; vel partibus omnibus extremis ita ob-
„ ſtructis, exſiccatis, corruptis, deſtructis, ut mala mate-
„ ries per eas amplius ire nequeat: hinc liquet quæ, quibus
„ cum ſymptomatibus, & cur Podagricis ex hoc morbo
„ mors *Aph.* 1273.

§. XXXIV.

Reliquæ differentiæ reſpectu effectuum in decurſu per paroxysmos recurrentes editorum ex antedictis ſatis intelliguntur, ut calcarea, ædematoſa, nodoſa; eryſipelatoſa &c. Quas brevitatis cauſa omitto.

Podagra ſimulata Medicinæ objectum non eſt, hæc favore domini, cui adulantur, cedit, ſtat, redit, tempora paroxysmorum nulla regularia ſervat. De hac mentionem facit Poëta.

Si friges, algent, ſi dixeris æſtuo, ſudant,
ſi tarde incedis, Podagra tardante laborant.

Dolum Medicus facile detegit ex tranquillo ſomno poſt epulas & vina aſſumpta.

§. XXXV.

EVENTUS.

Podagra ſincera nunquam lethifera, potiori jure ſalutaris dicenda, & ad longævitatem conducens, cauſas præmaturioris mortis e ſedibus ſuis ad ſe trahendo, ſubigendo, & ſecum educendo. Conſtat enim obſervationibus præſtantiſſimorum Practicorum, graviſſimos & ſummi diſcriminis morbos, ut ſunt hypochondriaci, affectiones viſcerum, Rheumatismi; tormina inteſtinorum &c. naſcenti Podagra non modo quieſcere, ſed plane radicitus auferri.

Quantum inde Podagricis ſolamen! dolor hic medicina doloris. Remediis intempeſtivis retropulſa, aut complicata ſæpe lethalis.

§. XXXVI.

Solvitur ſponte natura vel ope artis concurrenti, ſemper autem coctione & criſi, quæ quandoque ſenſibilis, quandoque nullo ſigno apparente, inſenſibili quippe diapnoë. proſtant caſus, ubi materies Podagrica coctione in parte adeo attenuata, ut ex arteriis in venas tranſierit, per maſſam ſanguineam innoxie diffuſa ſcabiem univerſi corporis produxerit; qua criſi in ſeptuagenario perfecte judicata, nunquam redux; legitur in Ephem. N. C. obſ. CLXIII. nil obſtat, quin etiam criſis per alvum, urinam, ſudorem fieri poſſit, quod ulteriori experientiæ relinquimus.

§. XXXVII.

Quo ſimplicior Podagra, quo recentior, quo functiones vitales, animales, naturales magis vigent, quo æger minus moroſus, quo æquiori animo dolores fert, Medicoque prudenti & circumſpecto magis obſequioſus, eo major ſpes ſalutis, & contra.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Hereditariæ utut curatu difficilis, & præcaveri, & exterminari conveniente victus ratione & debitis remediis poteſt, niſi concrementa calcarea, lapidoſa, tophos nodos produxerit cum diſſolutione vinculorum.

§. XXXIX.

Retropulſa curari nequit, niſi prius ſit reſtituta ſive ad ſuam ſedem quam citiſſime revocata, de quibus infra §. 42.

Enodanda hic occurrit difficultas, quæ primo intuitu videtur inexplicabilis, per quas vias poſſit intropelli, non per arterias ob fluxum a tergo urgentem, non per venas quia per vaſa ab applicatis adſtricta in venas tranſire non poteſt, ſi enim ſoluta eſſet, (ideſt ſubacta, ut critice evacuari poſſit) nil mali in interioribus faceret, critice enim mox evacuabitur. Vide infra §. 42. ubi omnium ratio reddetur.

§. XL.

Difficultas quoque moveri poteſt, quare ex manu in pedem, aut ex uno pede in alterum cauſa proxima delata viis intermediis dolorem non inferat, cum tamen retropulſa ex pede ad interiora tam funeſtos & calamitoſos effectus producat? has difficultates exponendas exiſtimo, antequam ad curationem progrediar.

§. XLI.

Quo ad vias, per quas materies Podagrica ex pede ad interiora repellitur, has Phyſiologia ex Anchyologia clare exponit. Detectum quippe eſt ope microſcopiorum & injectionis, arterias dare ramos laterales, donec in cylindros & dein

in venas abeant, jam concipe materiem illam ante cylindros aut etiam in iis hærere, dum extus adſtringentia, aut plaſtica oleoſa applicantur, ſubjecta arctius premuntur, aut perſpiratio impeditur, inde materia paulisper retrograda ad orificia lateralia perveniens ea ingreditur, ſicque ad venas defertur, ibique ſanguini mixta per totam maſſam moto circulatorio diffunditur. Ex quo altera difficultas etiam tollitur.

Intelligitur quoque, ſudorifera, fotus externos, ſiccos, perſpirationem augentes, v. g. teporem lecti, tibialia craſſa, rara, lanea, maxime conducere ad ſolvendam, attenuandam, ſubigendam, educendam materiem Podagricam· Canes juniores ad pedes ægri in lecto cubantes ſæpe inſigne ſolamen attulerunt, cum continuo caleant, perſpirent, & forte effluvia ex parte reſorbeant, ut aliquando ipſam Podagram contraxerint, hinc a quibusdam magnes Podagræ vocantur. Plurima hujus teſtimonia vide in T. VI. Ephem. N. C. obſ. LXXII.

Tepore ſiquidem humido externo vaſa *primo* laxantur, humores vitales ad extrema alliciuntur, in parte hærentes calore & affluxu vitalium ſolvuntur, corrupti, tetrici excernuntur, *ſecundo* dum ſimul humores ex corporibus appoſitis exhalantes charactere vitali imbuti a venis reſorbentur, multum quoque conferunt, quod exemplo regio in Davide confirmatur, cui Medici fotum vivum præſcripſerunt, nempe puellam vegetam formoſam (quo elegantior forma, eo perfectior vita) ut accubando pedes ejus calefaceret. An autem Podagricus, an tantum marasmo ſenili confectus fuerit, hoc S. S. docet, de illo ſilet. Vide 1. Reg. 1. verſ. 2, 3. Sextus apud jonſtonum in theatro animalium cap. de Vulp. recte commendat calceos & tibialia ex pellibus vulpinis, quas inſigni vi anti-podagrica pollere expertus aſſerit.

Noxas ab externis applicatis, ubi morbus ab internis originem duxit, vi acutiſſimi ratiocinii jam olim aſſecutus eſt Baſilius Valentinus in triumpho ſuo antimonii his verbis: *ſi morbus exterior ab interna origine productus nunquam per externa remedia intropellendus, magnum enim incommodum & tandem interitus ſequeretur. Quod ex arboris ſimilitudine intelligi poteſt, ſi quis enim*

enim dum ea jam germinat floretve, repellat humores ad interiora, unde per nutrimentum terræ prodierunt, tantum abeſt, ut ad optatum fructum perveniatur, ut etiam oritura ſit per violentam conjunctionem humorum exitum non reperientium ſuffocatio.

Turbida ſcaturigo convenientibus internis eſt elutrienda. Hoc opus hic labor.

§. XLII.

Quoad paradoxon, quare materia ex manu in pedem, aut ex uno pede in alterum migrans dolorem viis intermediis non inferat, ſciendum primo divortium morboſum per univerſum corpus diffuſum, nondum adeo inimicum, ut omnia loca indiſcriminatim afficiat, ſed imprimis illa loca, ubi facultas cohæſionem augendi præ cæteris reſidet, ut ſunt manus & pedes extremi ob calorem debiliorem; dolor inde in manu ortus auget affluxum, fit inflammatio, febris in illa parte, hinc fit materiæ coctio, ſubactio, ut aut exſpiret, aut in venas abeat per alvum aut urinam eliminanda. Dum hæc fiunt, alia pars hujus materiæ ad pedes delata eos offendit, ubi rurſus eadem fiunt, ita ut non una materies *ſingularis* ſit, ſed communi maſſæ inhærens nunc manus nunc pedes occupans.

Dum vero coctio illa impeditur, concrementa augentur, quæ ad interiora delata amplius ſubigi non poſſunt, ſaltem tam cito, ut vitalia non lethaliter afficiantur, hinc ad pedes revocanda, ubi coctio moram ſine periculo trahere poteſt.

§. XLIII.

Ex huc usque dictis vera & unica medendi methodus innoteſcit, quænam proſint, aut obſint, quare dolor ille Podagricus æquo animo ferendus, ſi ſubito Medicamentis non cedat.

§. XLIV.

CURATIO.

Ipſa natura ſibi maxime conſcia optima morborum medicatrix, uti in omnibus morbis a cruditate oriundis, critice ſolubilibus Medico viam monſtrat, ita Indicationibus a priori & prophylacticæ paucæ ſunt, & vix tutæ, eo quod illud divortium Podagræ cauſam primariam in ſpecie determinari non poteſt. Uſus aëris temperati, alimentorum blandorum, abſtinentia ab acribus, ſtimulantibus, potu ſpirituoſo, primaria ſunt. Moderatum corporis exercitium, deambulationes, opera ruſtica, venationes, modo caveant refrigerationes, maxime pedum, inter prophylactica *præcipua* ſunt. Studia profunda, curæ, metus, vigiliæ in feram noctem protractæ maximam vim habent mutandi motum circulatorium. Quo æquabilior hic perſeverat, eo magis vigent ſecretiones, miſcelæ in vaſis & viſceribus, vita otioſa, ſedentaria inflat venas, hinc cauſæ divortii ponuntur. Eleganter alludit Ouenus:

Vivere Naturæ ſi convenienter amarent
Mortales, medica nil opus eſſet ope.

Fatentur omnes Podagrici & Nephritici poſt uſum vini Rhenani, aliusve generoſioris exaſperari paroxysmos, item poſt alimenta, medicamenta ſtimulantia, abſtinentia autem ſevera mitiores fore, hinc adeo ſolliciti ſunt diſcendo quod noceat, aut profit, & hæc eſt ratio, Podagricos ut plurimum fieri longævos.

§. XLV.

Tempore verno & autumnali notabiliores fiunt aëris mutationes, quibus perturbatur motus circulatorius, fiunt ſeceſſus partium minus cohærentium, naſcuntur heterogenea, hinc

Po-

Podagra iis temporibus maxime infeſta, ſi nunc circa illa tempora lenia ſudorifera aſſumerent, corpus exercerent; aut paroxyſmum averterent, aut mitiorem certe experirentur. Pro ejusmodi ſudorifero commendamus rob. ſamb. crocum larga aquæ copia ſolutum, & per plures dies continuandum.

§. XLVI.

Præſente quartana plerumque exulat Podagra, non alia ratione niſi longiore paroxyſmo, quo ſpiſſa attenuantur, & ſudore critico eliminantur. Naturam igitur ars imitatur, non quidem poteſt quartanam efficere, poteſt nihilominus effectus analogos producere, id eſt, ſervare vitæ vires, cruda ſubigere, lenibus ſudoriferis ſubacta eliminare.

§. XLVII.

Si vero ſalutaris hæc methodus neglecta, aut ſero adhibita, aut tanta copia materiæ Podagram producturæ fuerit in maſſa ſanguinea, ut tempeſtive Naturæ & artis ope educi non potuerit, quin æger paroxysmum experiatur, propoſita victus ratione, fotu ſicco externo & diaphoretico penetrantiſſimis ſolventibus internis ſyſtemati nervorum amiciſſimis certo cedet. Ejusmodi parari poteſt ex ol. æther. Terebin. recens ex tereb. venet. leni calore deſtillando cum aq. pluvia prolecto, in quo digeſtione protracta ſolvatur camphora, opium Thebäicum, & ſtamina fl. croci, fl. lavendulæ fragrantiſſimæ macerentur, habebitur remedium incomparabile tam in quam externe adhibendum. Doſin & tempus ex ipſo ægro determinandum: quo major eſt impetus in partem, eo parcius interne, largius externe exhibendum. Si ſuſpicio eſt quid calcarei inter juncturas formari, poterit aliquid ſaponis Hieroſolymitani aut veneti, aut noſtratis, in eo quod externe applicandum diſſolvi, nullus inde repulſionis metus: inſigni quoque vi pollent lacrymæ ferulaceæ recentiores, ut gumm. ammoniac. galban. opoponac. ſagapen. addito caſtoreo & pauxillo opii forma pil-

lulari,

lulari, at prudentia ſit in methodo: pauca quantitate uſu diuturno proderunt, hac ratione nervi inſolito ſtimulo non irritantur, virtute balſamica officii ſui admonentur.

§. XLVIII.

Leonardus Botallus omnibus remediis præfert Sang. Miſſ., qua largius aliquoties inſtituta ſeptuagenarium, omnibus aliis irrito adhibitis Podagra liberatum eſſe aſſerit cap. 35. de curat. per S. M. pag. 312., inde eam uti in aliis morbis ſic & in hoc affectu nullo habito ætatis aut virium diſcrimine S. M. ſuadet.

Ejus vero conſilium in his terris tutum non videtur, dum vero æger viribus conſtat, & ab hæmorrhagiis conſuetis ſuppreſſis aut S. M. neglecta, aut Plethora præſente quacunque cauſa nata Podagra exorta fuerit, S. M. multum conferre poteſt, cauſæ partem ſaltem tollit.

§. XLIX.

Plura de hoc morbo dici poſſunt, verum ratio reſtringit, eo quod propriam experientian in uno alterove caſu tantum habeam, rara enim fides inexpertis, & experimentum juxta Hippocratis *Aph.* 1. vulgo habetur periculoſum. Effatum illud plus obſtat ſcientiæ noſtræ incremento, quam illam promovet; quod ſana ratio dictat, non video cur experiri non audeamus. Explorant prudentes Medici vim electricam in paralyticis, felicem ſucceſſum ſperantes periculo Hippocratico non deterriti, ipſe Hippocrates hac via proceſſit, multa debuit ante non explorata tentare, non autem cæco impetu, ſed præmeditando, quinam effectus ex applicata tali cauſa orituri ſint, ſaltem an nullum inde periculum metuendum, ſi non poſſim, inquit, prodeſſe, ſaltem cavebo, ne noceam. Solis Empyricis & Medicaſtris (medici nomine multi, re pauci de priſc. med.) hoc effato lapidem offenſionis poſuit.

§. L.

§. L.

Finio igitur B. L. cum Celſo: ut alimenta ſanis corporibus agricultura, ſic ſanitatem ægris Medicina promittit præf. L. 1. Agricola autem non in ſolum ſemen & terram foecundam, verum etiam in Deum ſolem & pluviam concedentem, ſic & ægri non in ſolum Medicamentum licet natura ſua morbo tollendo par, ſed & in Auctorem ſalutis ſimul ſpem ſuam dirigant, juxta illud:

Ni Deus adfuerit vireſque infuderit herbis,
Quid rogo Dictamnus quid Panacea juvat?

T A N T U M.

COROLLARIA.

I.

Idem Medicamentum in eodem ſubjecto in eadem morbi ſpecie poteſt eſſe cauſa ſalutis, & morbi, & mortis.

I I.

Benignior eſt Podagra quæ biennio, quam quæ ſingulis annis aut ſemeſtri recurrit, eo interim gravior, quo diutius acriusve diſcruciat.

I I I.

Quemadmodum bonus chylus optima in morbis medela; ita rarius requiritur, ut medicamenta anti-podagrica integris viribus ad partem affectam perveniant.

I V.

Medicamenta anti-podagrica ſpecifica inter deſiderata Medica ponimus.

V.

Balneum in convulſionibus aliisque morbis a materia Podagrica retropulſa item a materia in parte critice ſoluta cum ſanguine per viſcera diffuſa oriundis, ut & clyſmata anodyna ſummi uſus eſſe ſtatuimus, modo eo tempore diluentia leniter anodyna large bibantur.

DOCTISSIMO

ATQUE

PRÆSTANTISSIMO

DOMINO

RUDOLPHO A SONSBEECK,

Cum poſt publice de PODAGRA *habitam diſſertationem Medicorum ordini adſcriberetur.*

Orta dies totum radiis compleverat orbem,
Cum Tibi pro meritis cingit Apollo caput.
Signa ſodalitii quosdam ſunt culta per annos,
Hinc Tibi jam digno carmina læta dico.
Ergo venit promiſſa dies, qua Pæonis artem
Exerces, ſummum det Tibi Numen opem.
Tollere nunc ſævæ Chiragræ ſemina noſti
Deſerat ut paſſos ipſa Podagra pedes.
Anxius iſte labor morborum noſcere fontem,
Quem tamen exponit ſedula cura tua.
Jamque per haud magnum ſuperaſti mille labores
Tempus, nunc ſtudiis præmia digna feres.
Nunc precor, O SONSBEECK! noſtri non immemor unquam,
Ut faveant votis Numina ſumma tuis,
Conſcendat thalamos formoſa puella quietos
Ingenio pollens, quæ ſimul ære valet.

L. G. ROUSE, J. U. D.

PRÆNOBILI

AC

PRÆSTANTISSIMO

DOMINO

RUDOLPHO A SONSBEECK,

Cum poſt publice habitam de PODAGRA *diſſertationem Medicinæ Doctor crearetur.*

Si quis Apollineâ decorandus Epomide, certe
  Ille eſt, qui indomito par cluet arte malo.
Te SONSBEECK celebro, DOMINAM removere DOLORUM
  Ut tua cura fuit, ſentiat æger opem.
Illuſit Medicis cauſas celando PODAGRA,
  Has penetrans DOMINÆ jura ſuprema negas.
Gratulor inventum, magnis Deus annuat auſis.
  Fama Tubis curas altiſonando canat.

Hiſce paucis Amico & Contubernali ſuo gratulari voluit,

H. HOUWERD,

Med. Stud.